

ERRATA SIC CORRIGENDA.

Pag.	Linea	Errata	Corrections.	Pag.	Linea	Errata	Corrections.
3	34	mutuquimus.	mutuati sumus	77	6	leuia	leuia
4	35	prescribetur	prescribetur	Ibid.	39	Hieranii	Geranii
5	37	oferat	offerat	Ibid.	41	fuur	sunt
8	1	fatentem	fatentem	78	25	specics	species
Ibid.	32	eorum	earum	Ibid.	34	Allucinantur	hallucinantur
Ibid.	33	eorumque	earumque	Ibid.	40	Pimpinule	Pimpinella
9	26	ci	is	Ibid.	40	Teucrij.	Teucrij.
11	21	Pannicularum.	Panicularum	79	41	felici	felici
19	31	aere	aere	80	verf. pen.	epatis	Hepatis
20	10	Babilonos erat	Babylonos erat	85	20	vorundam	quorundam
Ibid.	34	cateris	ceteras	89	1	felicis	felicis
Ibid.	38	leuitatem	leuitatem	92	ultima	simili	simile
22	39	lithospermami	lithospermi	93	18	tumores	timores
Ibid.	40	Nymphæ	Nympha	Ibid.	23	distincti	detenti
24	11	vero	vero	Ibid.	32	tubaq.	rubraque
29	30	Indica	Indica	108	28	leues	leues
31	7	Aneurismatim	Aneurismati	116	31	cententur	centetur
		cedetur	medetur	117	7	Zopollin	Zopillin
Ibid.	17	Quahnaçen-	Quahnaçen-	122	penult.	precio	pretio
		sibus	ensibus	138	2	coluntur	coluntur
32	21	feniculaceos	feniculaceos	175	36	curationum	curaciones
33	36	velantur	vellantur	182	15	chimæorum	chimicorum
34	17	extinguitq.	extinguit	Ibid.	17	salem	salem
36	3	leues	laues	Ibid.	26	simili	simili
Ibid.	27	leues	laues	191	38	eranthematis	exanthematis
37	21	leuem	lauem	197	6	tota	sita
39	12	fructus	fructus	215	24	petrolo	petiolo
40	26	leuibus	lauibus	235	2	securidare	securidiaca
42	11	leues	laues	266	35	varia	vna
45	18	ymape	oruape	Ibid.	37	nature	natura
Ibid.	24	colo e	colore	269	17	comos	comas
46	11	& quæ	eo quod	277	24	leues	laues
Ibid.	14	per multa.	permultaq.	296	11	abscindens	adstringens
Ibid.	25	per quam, si-	perquam simi-	302	18	sequidrachma	sequidrachma
		milib.	libus	304	7	Mecatlanen-	Michuacanensi-
47	18	Totopocensi	Totopocense			bus	bus
48	14	lepræ	lepra	309	16	Ec	De
Ibid.	35	formicarum]	formicis	312	14	calentibus	calentibus
50	11	leuem	lauem	337	7	cocchleæ	cochieæ
Ibid.	34	Dysentericisq.	Dysentericisq.	338	19	affetus	affectus
53	22	& dolorem	ad dolorem	357	10	colori	colore
55	11	mediocri, &	mediocriter ser-	Ibid.	14	quinæ	quinquæ
		ferrata	rata	358	6	foliorum	folium
58	8	leuis	lauis	430	19	aliquod	aliquot
60	27	impingut	impinguat	450	17	foiia	folia
61	13	leues	laues	458	18	TVAE	TVA.
63	7	epatis	Hepatis	868	11	p. 61. 26	60. c. 26
Ibid.	29	cum	cum	Ibid.	35	p. 68. 35	67. c. 33
64	10	nuci muscati	dele	Ibid.	47	p. 69. 35	68. c. 35
68	12	hœmini	homini	Ibid.	46	p. 148. 18	147. c. 18
70	6	acinii	acini	873	39	p. 192. 17	196. c. 24
Ibid.	7	floreq.	floretq.	897	41	p. 196. 24	197. c. 25
71	25	spatio	spatium	951	2	quin imò	quinimò
Ibid.	27	libris	libras	Ibid.	26	Pertium	Persium
72	13	geni vinas	vini genus				
73	40	ptotalissent	protulissent				



RERVM MEDICARVM  
NOVAE HISPANIAE  
NARDI ANTONII RECCHI

Liber Primus.

PROLEGOMENA PRAEMITTIT.

Quid in hoc opere contineatur, scribendi occasio, eiusq. utilitas. Cap. I.



QUONIAM priscorum pleriq. praesertim Aristoteles, Theophrastus, Plinius, Dioscorides, & Galenus, ac recentiorum non pauci, de Medica materia verba fecerint; vna tamen omnes nondum ad medium, ne dicam ad calcem, fastigiumque rem perduxerunt. Quippe ad ea species, ac viribus abundans, & ampla est materia haec, ut meritissimo iure ea, quae dignoscitur, pars illius quae ignoratur, minima dici possit, Quod

certe quotidie experimur: non enim tantum vnaquaeque dies perfectis olim rebus lucem affert splendidiorem; verum etiam varias materiae huius species ac differentias, in nouo praecipue Orbe detegit. Intellexerant enim Catholici atque potentissimi Hispaniarum Reges, cum primum in eorum potestate noui Orbis nonnullae regiones, diuino consilio & munere sunt redactae, ex litteris ad eos missis ab his terrarum plagis, & a viris fide dignis acceperant, imò mille rebus ignotis ad eos hinc delatis, re ipsa cognouerant, quot nouus ille Orbis abundaret miraculis: quas nulli priorum vix Medicinas, nec auditas ferret, quaeque possent cum orientibus merito conferri, forsitan etiam iisdem praeferrì: quot odores emitteret, quibus Arabiae felicitas cederet: quam varias mirabilesque animalium species educeret: quot metallorum fossiliumque differentias atque thesauros in penitissimis visceribus per tot secula abditos contineret. Cumque expugnatis plurimis regionibus & in Hispanorum imperium redactis, ob restitutas Christo errantes oues atque

Ecclesiæ Romanæ caulæ inclusas, mirum in modum gauderent; proxima cura erat in id incumbere, vt tantarum rerum historia tam in gratiâ eorum, qui tunc temporis versabantur inter viuos, quàm illorum qui post essent nascituri, æternitati consecraretur; tum etiam vt cunctis præclarissima illa, omniq. admiratione digna Dei Optimi Maximi opera paterent, & fragili mortalium corpori saluber-  
rimis medicamentis repertis, consuleretur. Opus sanè Diuinum: Philippo II. Hispaniarum Regi eiusq. Maioribus solùm permisissum. Et licet rei huiusce magnum negotium pluries fuerit motum, in eo tamen, quòd is, qui verè vtiliter & iactis principijs còsentaneè scriberet, desiderabatur, nequidquã promotum fuit, quousquẽ tandem Philippus potentissimus Rex D. Francisco Hernando, Medico suo Indiarum primario prouinciam hanc exequendam mandauit. Is igitur huius noui Orbis rerum historiam in vigintiquatuor libros, plantarum verò icones in decem tomos, animalium autem in vnum cògeffit. Inspiciens verò Rex ad Rempubli-  
cam iuuandam, hæc nullius ferè esse vsus (quod tamen præter ipsius mentem erat,) tum ob plurimas ibi contentas res medico vsui non inferuientes, tum ob alias indistinctè, incompletè & inordinatè traditas: tandem mihi vni ex suis Medicis rem hanc inspiciendam, ac in medicum vsum redigendam demandauit. Qui licet hoc onus meis humeris longè impar, nonnullis ex causis futurum dignoscã, vt tamen tanti Regis, cuius, quantum sum illius sum, mandatis obtemperem, Diuino confusus auxilio Opus hoc, in quo de Medica noui Orbis materia agetur, magno & ægrotantium & medentium, tum noui cùm veteris Orbis commodo medicarq. materiæ ditatæ, ac antiquorum iuniorumq. nonnullis dubijs dissoluendis, ne dicam erroribus confutandis perutile; paucis prius ad dilucidationem rerum, quæ in opere continentur prælibatis, aggredior.

*Medica materia à quibus sumatur, quæq. in Plantarum Historia consideranda veniant, & de Auctoribus imitandis. Cap. II.*

Lib. de arte  
non longe  
à prin.

**M**agnus ille Hippocrates omnium Medicorum, ac Philosophorum primus Medicinam esse, eamq. veram ac necessariam, aduersus artem negantes ac sanitatem fortunè adseribentes, hoc potissimum medio, nempe Materiæ medicæ viribus ac vsu comprobare nititur: eamq. artis huius essentielle principium, basis ac fundamentum statuit, hoc modo asserens. Omne quòd fit, propter quid fieri comperitur, atque etiam in singulis adeo propter quid fieri videtur, vt plantas, animalia, & mineralia, è quibus materia sumitur medica, ad hominum valetudinem tuendam, morbosq. pellendos facta, censendum sit. Quare Galenus medicamenta omnia, partim esse partes animalium, aut plantarum, aut fructuum, aut eorum liquorum (quos Græci *χυμους* vocant, aut succos) partim verò ex metallis sumi litteris mandauit. Theophrastus verò, medicamenta ex varijs plantarum partibus, (vt sunt fructus, succi, folia, radices, & alia) sumi scriptum reliquit. Nam plantarum tantum historiâ ac causas, omisis animalibus ac mineralibus, considerauit ac tractauit. In quorum medicamentorum historiâ duo consideranda sunt: Vnum, vt eorum differentias, reliquamq. naturâ ex partibus, affectionibus, generationibus, vitaq. petamus, partes externas, totamq. figuram, ac etiâ internas ita spectando, vt id, quod cuiq. proprium sit, quodq. còmune, dignoscamus: Alterum verò, si id, quod alicui peculiare videtur, possit quandoq. ob aliquod nõ esse,

Nam

Nam contingit aliquando plantarum proprietates, ac figuras ita mutari, vt a nonnullis alia existimentur. Primum optime explicauit in plantis Theophrastus dicens: Partium differentia (vt formula rem complectar) tribus ferè in rebus consistunt, aut in eo, quod quædam habent, aut non habent, vt folia, fructus, & cætera: aut quod non similia, neque paria habent; aut tertio, quod non similiter habent. Horum dissimilitudo, figura, colore, spissitate, raritate, asperitate, lenitate, reliquisq. affectionibus innotescit. ad hæc, omnibus saporum differentijs disparitas, aut in excessu, atque defectu magnitudinis, multitudinis: non similiter verò habent, quæ positione ac ordine differunt. Quò verò ad generationem, quasdam sponte, alias semine, alias radice, alias auulsione, ramo nonnullas, aut furculo, alias trunculo, lignouè minutatim conciso, prouenire asserit. Quò ad vitam, considerando quibus locis gaudeat hæc magis, vel illa, quantumue proprijs in locis vnaquæq. viuere possit. Mutationes autem sparsim, quasi obiter tetigit. Dioscorides etiam duo illa considerat; aliter tamen. nam vires, & facultates medicamentorum vsui medico deseruientes docere intendens, idq. fieri non posse, nisi medicamenti prius cognitis, non ab re delineamenti quibusdam ea describens, differentias, partes, generationes, vias considerat; mutationes, vti rarò euenientes, parum attingens. & si ambo vtrumque inspexerint; diuerso tamen modo tractarunt, differentes in scopo, & ordine. Nam Theophrastus Philosophis, Medicis, Agricolis, & alijs plantarum cognitionem profertentibus, scribit; Dioscorides tantum Medicis. Ille naturam, partes, differentias, ac vires, ad legentium admirationem proponit; hic cuncta eadem, vt facile a posteris dignoscantur, & medico vsui tutè adaptentur. vterque ordinem, ille naturæ, hic doctrinæ, insectatur. Sparsim ille ac varijs in locis plantarum descriptiones, naturas, ac vires disseminat; hic vniuersam earum formam in vnum colligit, mox vires annectit. Theophrastus ita plantas solas examinandas sumpsit, & de eis considerans præ cæteris extremam manum illis imposuit. Dioscorides verò intra medicinæ limites continetur, & non solum plantas, sed quidquid a metallis, cæterisq. fossilibus generibus, nec non animalibus ars medica sumit, in vnum opusculum coegit. Quare Galenus cæteriq. omnes circa medicaminum examen Dioscoridi primas deserunt: quod quantum ad rem medicam spectat clarius, & exactius omnibus scripserit. At quia opus hoc in medicorum præsertim gratiam editur, in omnibus ferè Dioscoridem imitabimur. exceptis paucis, quæ a Theophrasto sumpsimus, quæue in medicamentorum facultatibus dignoscendis, a Galeno mutuauimus.

r. de hi-  
sto. plant.  
c. 1.

lib. 2. de  
hist. plant.  
c. 1.

*Quem ordinem in suo de materia Medica Dioscorides seruauerit, quiq. in hoc opere sit obseruandus. Cap. III.*

**M**ateriam medicam tractans Dioscorides summa diligentia laborauit, vt non tantum vera, vtilia, & statim principijs consentanea scriberet, sed & vt ordinatè cuncta disponderet. huncq. ordinem, & in librorum, & capitum connexionibus, & in vnoquoque capite, differenti tamen modo ab alijs tradito, seruare conatus est. damnans Iuniores, quòd materiam medicâ vernaculam, cognitamq. vulgo dignam censuerunt, medicamentorumq. vires, probationesq. cursum complexi nullo experi-

in proem.  
non lon-  
ge à prin.

A 2 mento

mento eorum effectus colligentes, inani verò reddendarum causarum studio verba fundentes, alia pro alijs scriptitando, rem in aceruum, congeriemq. controuersiarum extulerunt; ac nonnulla, reclamante euidencia, profusq. veritati refragantia, non certa fide, sed narratione potius ab alijs accepta, cumularunt. In ordine iidem ipsi aberrantes, partim eorum aliqui discrepantes, nullaq. cognatione coniunctas vires colligentes, partim per elementa litterarum scripta in ordinem digerentes, & genera & eorum effectus a sua cognatione disunxerunt. Dioscorides verò libros, & capita connectens, medicamentorum genera, & effectus virium cognatione coniuncta, considerat. In primo libro nimirum de aromatibus, oleis, vnguentis, arboribus, nascentibusq. ex eis succis, lacrymis, ac feminibus materias, ac materialium capita virium cognatione coniuncta connectens, pertractat. Sic & in secundo libro. in quo de animalibus, melle, lacte, adipe, frugibus, atque oleribus, subnexis herbaceis, quæ acri prædita sunt facultate. idq. ideo, ne coniunctorum vires disunxisset videretur. In tertio radices, succos, semina, herbas, & quæ vernacula, & inter se cognata censentur, ac ea, quæ pluribus scitent remedijs profequitur. In quarto de radicibus, & eis, quæ restant herbis. In quinto de vinis, & metallis. In sexto & ultimo, facultates medicamentorum, quæ nobis prodesse, aut obesse, possunt, recenset. In singulis autem capitibus primò medicamenti nomenclaturas proponit, deinde species, seu genera recenset, si plura reperiri contingat; mox eiusdem delineationes, ac notas describit, ut illud cognoscere valeamus; postremo facultates, operationesq. nos docet. ita ut vnumquodq. caput in tres diuidendum sit partes, quarum prima nomenclaturam, & genera; altera descriptionem; tertia vires, & vsus contineat. Cùm medicamenta omnia, quæ in hoc opere continentur, vel sint partes animalium, aut plantarum, aut fructuum, aut horum liquorum, quos Greci *συνετα* vocant, aut succi, partim verò ex mineralibus sumantur, melius mihi visum est, cum Galeno de plantis ante omnia agere, tum quia numerosissimum illarum est genus, tum quia virium robore præcellentissimum; inde de animalium partibus tractare, ut post plantarum icones animalium successiuè sequerentur, hinc ad mineralia tandem deuenire. Itaque vniuersum opus hoc, tribus præcipuis partibus constabit, illas tamen in decem libros diuisum, absolutissimè comprehendet. Hisce enim Prolegomenis in. Primo propositis, in sequentibus septem, de Plantis, non eo quidem ordine, qui in elementis visitur; (hoc enim esset genera, & eorum effectus a propria cognatione disiungere,) sed eo, qui in Plantis genere coniunctis, & qualitatum familiaritate, ac præcipuè cognatione saporum connexis consistit, Dioscoridis potissimum instituto, quandoq. & ordine, seruatò perscribetur. Quare in Secundo de aromatibus; in Tertio de Arboribus, & nascentibus ex eis, succis, lacrymis, ac feminibus; in Quarto de Fruticibus, ac Suffruticibus; in Quinto de herbis acri sapore præditis, in Sexto de ijs quæ amaro, in Septimo de his quæ salso, dulciq.; in Octauo de his quæ saporibus reliquis cognatione quadam coniunctis, nempe acerbis, austero, acido, nec non & de insipidis agetur. Si verò inter eas reperiri sit aliquas pluribus, interimuè oppositis, præditas saporibus, has etiam collocabimus inter illas, quæ cum præcellenti cognationem habent: in Nono tandem de Animalibus; in Decimo de Mineralibus prosequemur.

lib. 1. de  
simp. med.  
facul. c. 1.

De Rerum, ac Medicamentorum Plantarumq. in genere nominibus, ac eorum  
multiplicitate, & recta impositione. Cap. IV.

Superiori capite diximus Dioscoridem, non tantum in librorum, capitumq. connexionibus, sed in vnoquoque capite ordinè seruasse, ita ut quoduis caput in tres dissecari partes possit. prima nomenclaturam, & genera; secunda descriptionem; tertia vires, & vsus contineat. sic & huius. capita operis, in tres diuidi partes poterunt. in prima nomenclatura; & genera; in secunda delineatio, ac loca in quibus plantæ nascuntur, geographicè ac chorographicè ponuntur; in tertia vires habentur, ac vsus. Cumq. id quod primo occurrit, sit plantarum nomen; ideo de nominibus plantarum huius operis agere operæ pretium duxi; quibusdam prælibatis prius de rerum, ac plantarum nomenclaturis in genere. Etsi natura ne an impositione sint nomina non eodem modo antiqui sensere. Nam Hippocrates, nomina lege quadam naturæ indita esse asserit; species verò rerum non lege sanctitas, sed naturæ esse germina. Plato verò naturam esse asserit, Aristoteles impositione, & ad placitum, conceptus & res denotantia nomina esse statuit. ab eo tamen non dissentit Plato dicens, nomina naturaliter significare, quia a perito artifice imponente, talia imponuntur nomina rebus, qualia illarum naturis conueniunt, ut ex præallegatis Hippocratis verbis rectè intellectis colligi potest. eoque magis quia solemus artificialia, quæ maxime naturam imitantur; naturalia per exaggerationem vocare. Quorsum & illud est Genesios, omne quod vocauit Adam ipsum est nomen eius: sed de hoc hæcenus quod alterius est indaginis. At quia de Plantarum nominibus, rectaq. eorum impositione ad inuestigandas plantarum noui Orbis nomenclaturas, hic agere intendimus, merito ommissis alijs, dicimus: Plantarum nomina nonnunquam suis assignari inuentoribus: interdum regionibus, vel quia in his primum inuenta sunt; vel copiosius, aut viribus præstantiores proueniant: Quædam ab effectus excellentia appellationem traxerunt: alia ab euentu rei: nonnulla ex aduerso sua ducunt nomina. Quædam a fabulosis veterum narrationibus sunt: nonnulla, quæ ab aliarum rerum similitudine nomen mutantur; quæ omnia etymon aliquod habent, ac nomen earum, vim quandam; & rationem naturæ exprimit. Cæterarum verò etymo diu ignoto, euenit ut posteriores, naturis plantarum, facultatibus; locis, alijsuè longo satis vsu cognitis, alia illis nomina; horum aliquid in illis indicantia indiderint. quibus a posteris receptis, deletis ac ab vsu reiectis primis nominibus, alia secundo imposita remansere. Itaque nominum aliquid denotantium nimius creuit numerus; paucis vix relictis nullam sui nominis rationem manifestam habentibus. Quare cum varia hominibus imponendorum nominum se offerat causa, tam illis quæ antiquum nomen seruant, quam etiam in quibus primum nomen deperditum est, diuersa sunt nomina indita, & sic in vnicò medicamento, duo & aliquando plura nomina reperiuntur. Antiquitus plantarum cognitioni magna diligentia in veteri hoc Orbe vacabatur; veluti & nunc, & in veteri & in nouo infudatur, ita ut in diuersis regionibus diuersa essent nomenclaturæ, atque ab his facultas, ab illis sapor, ab alijs color, vel similitudo cum alijs plantis, vel cum animalibus ab alijs aliquid eiusmodi notabatur. Etsi autem hæc nominum varietas confusionem quandam in professorum

Lib. de  
arte non  
longè a  
princ.

Cap. 1.

animis generare potest, non tamen est etiam absque maxima utilitate eorum cognitio. Primum, quia peregrinantes, Galeni more, ob exactam simplicium medicamentorum in varias regiones cognitionem, optimum est ut & eius regionis ad quam perueniunt, & nomen illorum quae quarant medicamentorum sciant, quia sic facilius eorum noticia reddetur. Secundo, quia ex nominum varietate sapientius in cognitionem simplicis medicamenti venimus. Nam quod vnicuique nomen non explicat, quandoque explicatur ab altero. Quorum nominum varietas, quandoque a Dioscoride in quibusdam medicamentis admissim explicatur; in alijs ex eorum descriptione colligitur, in quibusdam vero neutrum fit, sed sola nominum varietas ponitur, cur autem ita nominentur, non solum non enodatur, sed neque in delineatione includitur. At summa adhibita diligentia, nominum proprietatibus, atque etymo inuestigatis, dubio procul multa nobis simplicia innotescunt, quae alioqui non innotescerent. Nominis namque proprietates nunc medicamenti formam, nunc facultatem, nunc odorem, & aliquid eiusmodi denotabit, ita ut aliqua nota esset digna medicamento addatur, quae faciliorem eius cognitionem reddet.

*De Plantarum huius operis nominibus eandemq. multiplici nomenclatura.* Cap. V.

In plantis noui Orbis hoc in opere contentis, plura obseruantur nomina etymon aliquod habentia, ac vni quandam, & rationem naturae exprimentia, ac nonnulla etiam etymon nullum referentia offeruntur. Plantarum namque quarum nomina etymon habent, quaedam a praecipua facultate, effectusue excellentia appellationem traxerunt, ut est herba *Phahuame*, dicta sic a facultate, qua puerperas iuuandi praedita est, a Dioscoride. Aristolochia nuncupata. sic etiam *Tlahuellocaquahuil*, arbor insaniae dicta, quia daemones pellendo, & fascinum inhibendo eos curat, qui horum prauitate insanunt. *Ciuiiparli* medicina seminarum dicta, quia muliebres morbos, praecipue hystericos affectus curat. *Teilatia* vrens medicina, nuncupata, quia quarto ordine calida est, & vrentis naturae. *Coaxiuzparli* medicina doloris dicta, quia dolores lenit. *Qualancaparli* irati hominis medicina dicta, quia hilaritatem inducit, & iram mulcet. *Tlaelparli* dysentericorum medicina nuncupata, quia dysentericos sanat affectus. Aliae a quadam peculiari proprietate, ut *Penabuhiztli*, id est herba verecunda, sic dicta quia hominis tactum fugit, & eius flatu tabescit. Quaedam a suis inuentoribus nomen duxere, ut *Tequiltilic* herba Principis dicta ab inuente, qui erat illius regionis Princeps. *Cimatli* quam Hispani incolae herbam Ioannis infantis, illius primi inuentoris, dicunt. A locis aliae, ut *Chicbimecaparli* quia *Chicbimica* gentis est medicina. *Texcalxihuitl*, seu herba saxorum, quia in saxis oritur. *Atcuaparli*, seu medicina iuxta riuos proveniens, quia in fluentibus aquis oritur. A sapore, ut *Cocoxihuitl*, id est herba acris, a sapore acri, quo pollet nomen fumens. *Tlacochichic*, hoc est virga amara, *Cacochichit*, seu herba amara ab amaritudinis sapore nuncupata. A colore, ut *Tlilxochitl*, id est flos niger, nomen a nigro siliquaru colore, nam huius plantae flores mutari videntur in siliquas. *Cocoxochiparli*, hoc est medicina lutei floris, a florum colore sic dicta. A similitudine cum multis rebus facta, ut cum animalibus, quod scilicet vna plantae pars, vel quod ipsa vniuersa

alicui

alicui animali similis sit, ut *Theoquilin*, id est saxei vermes, sic dicta a radicibus capillaribus, vermium figuram referentibus. *Zazacilin*, sic dicta, quia eius semen est simile Cochleis. a similitudine cum alijs medicamentis, vel quod vniuersa, vel quod eius pars emuletur illa, vel vniuersa, vel illorum partem, ut *Tlalabochoebtl*, id est infima abies. *Tlacopolin*, hoc est cerasus humilis, a similitudine quam habent cum vniuersa planta. *Abuapathl*, hoc est querna medicina, a similitudine foliorum, quam habet cum folijs humilis palmae. *Taushtli*, id est nybilosa medicina, ob flores comantes, qui nubila imitari quadantenus solent, dicta. A medicamenti, seu eius partis figura, ut *Cempalxochitl* a numerosa foliorum multitudine sic dicta. *Tlalquequetzal*, id est penia terra, sic dicta a folijs pennas auium imitantibus. a haec *Millefolium* dicitur. *Nauytecpoz*, id est quatuor dorsis, dicta sic quia caules hac herba producit foliaceis quibusdam appendicibus, secundum eorum longitudinem e partibus quaternis discurrentibus pennatos. *Tezoparli*, sic dicta a radice, duritiae & colore in rubeum vergente, imitante lapidem *Tezontli* dictum. *Tezonzochitl*, id est flos barbarus, sic dictus a floribus comantibus capillis longis & coccineis, qui simul barbae imitar iuncti sunt. *Tzontlahuagui*, id est capilli rubei: sumpsit haec planta nomen a tenuitate, colore, & forma comantium in summis virgibus florum rubeos capillos referentium. Ab accidente quoque, ut *Copalquahuil*, id est arbor gummitifera. & licet hoc nomen cunctis arboribus gummitiferis commune sit, per antonomasiam tamen huic arbori inditum est. *Hoirzloxtil*, seu affluens resina, eodem modo per antonomasiam a copiosa resina quam producit, sumpsit nomen. *Xioquahuil*, sic dicitur, quia stupes lepra infectus videatur. Quandoque a duobus simul iunctis vnum fit nomen, ut *Axixcozahuizparli*, hoc est medicina vrinae lutea. a folijs inferne luteis lutea dicta, & a facultate euocandi vrinam medicina vrinae nuncupata, fit nomen compositum a facultate & filiorum colore. *Tzactexcalitacotl*, id est virga candida saxorum dicta, nomen compositum ex colore, & loco in quo oritur. Contingit quandoque vnam & eandem plantam plures sortitam fuisse nomenclaturas, eaq. diuersas, vel quia in vna regione fuerit cognita vna praecipua facultas, a qua apud illas gentes nomen vim illam exprimens fuerit impositum, in alia vero regione facultate altera, ab hac diuersa, cognita alterum nomen fuit inditum, & sic in diuersis regionibus, diuersis cognitis facultatibus tanquam praecipuis vni & eidem plantae insitis, plures fuerint accommodatae nomenclaturae ut est *Texaxapostla*, id est lapidum perforatrix, nam confricato ea madente lapide, vel quinque vncias crasso, admotisque, auersa parte naribus, ita perciperet quis odorem, ac si naribus herbulam admouisset, penetrante vapore saxu durum. Alij eandem plantam *Tzompilibuizparli*, seu sternutamentum mouentem vocant, quia naribus admota sternutamentum excitat, ut est etiam *Tzompilibuizparli*, id est medicina,iciens sternutamentum, a facultate excitandi sternutamentum, qua pollet, sic dicta. eadem ab alijs nuncupata *Tzontecomparli*, id est medicina caput expurgans. Obseruat ut quandoque nomenclaturarum pluralitas non tantum a varietate facultatum, quae vni plantae insunt, sed quia vna erit sumpta a facultate, alia a colore, alia ab odore, alia a similitudine, pro varietate earum qualitatum praepollentium, quae diuersis impositiuis innotuerunt, ut est planta illa, quam ab odoris prauitate *Cobayellim*, id est

ideft anguem fœtentem appellant . alij eandem plantam *Tilipotom*, feu nigra, & fœtentem plantam, a nigro colore, & fœtido odore nominant . eandemq. *Chichic*, feu herbam amarâ, & ferratorum foliorum, a fapore & figura nuncupant . Alia planta *Ollubiqui*, a feminis coriandro fimilis rotunditate . eadem *Coaxibuitl*, ideft serpentes herbanuncupatur . tribuunt serpentibus fapiëntiam & prudentiam, quare fapiëntium planta appellatur . Sacrifici enim Indi, cum videri volebant verſari cum ſuperis, & reſponſa accepiffe ab eis, ea veſcebantur planta, vt deſpererent milleq. phantasmata, & dæmonum obuerſantium effigies circumſpectarent . tribuit enim id Solano maniaco Dioſcorides . quare fatius fuiſſet, herbam deſipientium, & maniacorum, & non fapiëntium nuncupate . Tot ergo diuerſis nominibus vnam plantam appellari non penitus abſonum duxi, immo non parum commodi, tum ad facilitandam plantæ cognitionem, tum ad cuiusdem virium & facultatum indagatiõnem, futurum putavi . Namque opus hoc in lucem editum per varias noui Orbis regiones circumferri poſſet, & incolis illarum, ex peculiari regionis plantarum nomenclatura facilis innotefcerent . aut ſi quis, ob harum plantarum certam notiçiam, in varias ſe regiones conferat, ac plantam peculiari illius regionis nomine petierit, dubio procul planta ab incolis oſtenderetur, & erit voti compoſ . tum etiam ex nominum varietate plantarum facultates & vires (vt diximus) innotefcerent . vnam enim nomen, vnam, aliud verò aliam explicabit facultatem . Et ſi plantarum huius operis nonnulla nomina ætym carere, vel ſi quod habent ignorari videatur, in poſterum etiam, aut innotefcere, aut alia nomina, vim quandam & naturæ rationem, experientia, aut aliquid prædictorum denotantia, imponenda eſſe ſperandum eſt . ob hoc cuncta harum plantarum nomina ad vnguem adnotare optimum fore exiſtimavi .

*Generum Plantarum nomenclaturæ, differentiæ, conuenientiæ, ac degeneratiõnis rationes.* Cap. VI.

**E**tenim dictum eſt, vnumquodque huius operis caput in tres diſſecari partes poſſe, quarum prima nomenclaturæ, & genera, ſecunda deſcriptionem, & locos, tertia vires & uſus contineat . Cumq. duobus præcedentibus capitibus de plantarum nomenclaturis, rectaq. eorum impoſitione diſſerum ſit, in præſenti capite de nomenclaturis generum plantarum, eorumq. degeneratiõibus, conuenientijs, ac differentijs tractabitur, ne per ignota, tum in ordine tum in deſcriptione procedatur . Doctrina enim euidentius tradi ſolet, cum per genera, ſpecieſue diuidimus . Quare rectè hunc in modum agetur, vbi cunq. fieri poſſit . Genera itaque plantarum prima ac maxima, a quibus omnia pene, aut plurima continentur, vt Theophrastus inquit, quatuor ſunt, nempe *Dædæon* arbor, *Dædæon* frutex, *epiçaros* ſuffrutex, ab alijs cremium dictus, *æda* herba . Arbor eſt id Theophrasto quod ab radice caudice ſimplici ramoſum, nodoſum, ſurculoſum, hæud facile diſſolubile aſſurgit, ceu Olea, Ficus, *Tecomahaca*, *Tlabueliloca quahuitl*, *Xochiocorzo quahuitl*, *Copatic*, *Tamarindus*, *Huacoxex*, *Hoirzil oxitl*, *Mixquitl*, *Saſafras*, *Hoxacac*, & alia ſimiles . Frutex, quod ab radice caudice multiplici, ramoſumq. ſe extollit, vt Rubus, *Paliurus*, *Tlepatli*, *Hoirzilzilxochitl*, *Tlalaçotic*, *Acuilotl*, *Ecapatl*, *Huitxiçna*, *Nacacul*, *Tçieçpali*, *Atlacopillm* . Suffrutex, quod ab radice multis exiguis caudicibus, cauliculiſue

v. de Hiſt. plant. c. 5.

fibi

culiſue exit, ramoſumq. eſt, & in altum aſſurgens, mediamq. naturam inter herbam ac fruticem habens, vt Roſmarinus coronarius, Lauendula, Hedera, Spartum, *Coatlil*, *Xalquahuitl*, *Xiopatli* ſunt qui dicant, ſuffruticè vno conſtare ſcapo lignoſo, ſurculoſo, humili minutiſq. ornato folijs, vt Abrotanum, Sampſuchum, Serpillum, *Tzontçepali*, *Tlacoxochitl*, *Tlacoxiloxochitl* . Herba, quod ab radice foliatum, ſine caudice prouenit, ſemenq. caule fert, vt frumeta, & olera . Sunt qui addant, quandoq. caule carere, ſepius verò caules ferre, aut culmos minimè lignoſos, ſed molles, vt Borrago, Beta, Sonchus, Chondrilla, Meliſſa, *Acçoiatic*, *Chilmemecatl*, *Cococxibuitl*, *Zorçyatic*, *Epazol*, *Taubli*, *Tacuacha*, ac quamplures alia . Plantæ omnes quæ ex ſemine ortum ducunt, conueniunt in hoc, quod ſato ſemine, ex eo radix primo oritur, mox duo foliola . Diſſerunt verò, ſola namque herba ſtatim fundit ab radice folia, præter ea bina foliola prima, quæ cunctis generibus communia illico è feminis pulpa proceduntia, ſunt aſſinia radici . Arbor, frutex, & ſuffrutex, continuo ab ijs foliis edunt ſtipitem, herba omnis alia inſuper folia . procedente verò tempore, quædam etiam ſtipitem mittit, quædam nullum vnquam, quod de Cynogloſſo ſcribit Dioſcor . In nonnullis prouenit, vt in Beta . atque harum vna differentia pro tempore . ſunt enim quæ cito, vt Borrago, ſunt quæ ita ſerò, ita rarò caule mittant, vt aliquibus ſine caule natura ſua ſint aſſtimata, qualis Tuſſilago . Altera differentia è Cauliũ numero vel frequentiua vel ſingulari, ex eorundè magnitudine, ac perennitate . in alijs tribus generibus egreditur ſcapus, ſtipiſue vel vnus, vel plures . Si vnus, aut magnus, & eſt arbor, aut paruus, & eſt ſuffrutex . ſi plures, eſt frutex . Horũ verò affectus proprij ſunt, Arboris, vt ne intereat, aut denuò ſubnaſcatur; fruticis, & ſuffruticis, vt aliqui tales ſint, aliqui intermorian- tur, id, quod cum herbis commune habent . Omnis ergo ſuffrutex diſſert ab Arbore magnitudine; aliqui etiam annuo interitu . Agrimonja namque interit, & alia multa vnicaulia . in eo autem conueniunt, quod vtrique truncus eſt ſingularis . Diſſert ab arbore frutex paruitate, in qua ei cum ſuffrutice conuenit; ab vtroque verò ſtipitum frequentia . nec neceſſe eſt ei perennare, ſicut neque ſuffruticis, ſeu cremio . nam & Myrtus perennat, & Præonia non perennat . Herba conuenit cum ſuffrutice ſtipitis vnitate aliquando, vt Braſſica . nonnunquam cum frutice ſtipitum multitudine, vt Fœniculum . aliaſ cum eorum neutro ſtipitis carentia . Diſſert omnis ab omnibus alio proprio diſcrimine, nempe foliatione, modo ſupra explicato . Contingit quandoque degenerare hæc genera plantarum, vel cultura mangonio, vel negligentia, & incuria colentium, vel aliàs ſuapte natura, & ſponte, ac alia in alia abire, ſicut & ſpecies . nã Siſimbrij ſpecies in Mentam, Triticum in Lolium, & Hordeum in Auenam, ſic & genera . Corylus ſi non colatur frutex eſt, item Punica, ſi auel- lantur ſoboles, arboriſcunt . Malua quandoque in altum ſe attollens, atque in arborem tranſiens . quippe ita ſit, neque tempore longo, ſed ſenis ſepteniſue menſibus, ita vt longitudine, craſſitudineq. inſtar hafta poſſit grandefcere . Quapropter commode ad uſum baculi venit . tempore verò longiore exacto pro ratione magis quoque incrementa capieſit . ſimili modo, & Beta . nam ea quoque ampliorem magnitudinem capit, ſed longè magis Amerina, Paliurus, Hedera, vt procul dubio arbores efficiantur, quamquam frutices ſint auctore Theophrasto . Arbores è contra nã purgentur, earumq. cultura omittatur, in frutices degenerant, idque fruticare arbores appellant . Huius Idææ proportio quædam eſt in nonnullis alijs herbis, vt in

v. de Hiſt. plant. c. 5.

Lactuca,

lactuca, cuius stipitem ad hortorum postes quaesitum prodijt Theophrastus. sic in Salvia, Androsamo, Polygonato, Hyoscyamo, Rhododendro, & plerisque alijs, vt Dioscorides inquit, fruticare, & suffruticare contingit.

De Plantarum Partibus. Cap. VII.

**N**omenclaturas generum plantarum, differentias, ac conuenientias, degenerationesq. superiori capite ostendimus. Nunc explicationem partium plantarum profequi conuenit. Cumq. planta res varia sit (vt Theophrastus inquit) atque multiplex, ob hoc partes in vniuersum de ea referre difficile est. signum huius, quod nihil penitus est quod commune accipi possit cunctis plantis conueniens, vt animalibus os, venter, & alia proportione eadem, alia quodam alio modo. Neque enim radicem, neque caulem, neque ramum, neque germen, neque folium, neque florem, neque fructum, plantae omnes habere videntur. Cortex rursus, aut medulla, aut neruus, aut vena minimè omnibus inest, vt in fungorum, & tuberum genere patet. Quibus rebus, hisq. similibus natura vtiq. plantarum consistit. Sunt equidem arboribus, & fruticibus partes plurimae; suffruticibus pauciores, quibusdam herbis paucissimae. quarum quaedam primae maximeq. communes plurimorum sunt, vt radix, caulis, ramus, surculus, ex Theophrasto. quaedam perpetuò suis adsunt stipitibus. aliae non semper adhærent, sed pereunt, ac decidunt. quas idcirco nonnulli partes esse negant, alij annuas appellant. Perpetuae partes sunt radices, caudices, rami, cortices, ligni materies, matrix, medulla, & aliae. annuae verò, & non perpetuò praesentes, flores, calyces, iuli, fructus, semina, capitula, siliquae, valuulae, umbellae, pappi, & multis folia etiam, sed non omnibus tamen. Radix igitur est, quo terrae planta inseritur, atque cohaeret, & alimentum allicit. cunctis plantis hæc inest, paucas si excipias, quae sine radicibus viuunt, & augentur, vt Viscum, Stelis, & Hyphear, arborumq. Fungi. Caulis, id, quod ab radice simplex supra terram assurgit, & in quod alimentum defertur, scapusq. latinis nominari consuevit. ac in arboribus quidem, & fruticibus caudex, in herbis vero caulis dicitur. Stolones illa coliculorum, inutilisq. è radicibus fruticatio. Stolones appellantur. qui iuxta arborum, ac fruticum caudices erumpunt, quiq. euulsi, atque plantari viuunt, & adulescunt. Truncus inferior caudicis pars, quae radici vicinior est, alias quae truncatis superest ramis. Rami sunt, qui in caudice, aut caule fissi multiplices sparguntur, & veluti brachia quaedam se expandunt, quos nonnulli nodos appellant. Surculus, id, quod ex ramis simplex, ac indiuiduum oritur, quale potissimum germen annocinum apparet. At quia praedictae partes cortice, ligno, & medulla, quae & matrix dicitur, constant, merito de his dicendum. Est ergo cortex pars vltima, ac extrema a subiecto corpore separabilis, veluti crusta quaedam ad tegendum data. quae si velut ambiens membrana cingat, tunica a tuendo corpore dicta est, pars tamen corticis interior, quae ligno praesius adheret, proprie liber erit. is quibus scribimus libris nomen dedit. Corium a doctis non tam facies summa, quam statumem quoddam crassius, cui & aliud subesse potest, nominatur. Sunt verò, & partes quaedam, quae per se nomine carent, similitudine autem ex animalium partibus appellationem sibi mutuauerunt. Quare appellant neruum id, quod

conti-

continuum, fissile, praelongumque spectatur; sed infociabile ac germine destitutum & venas habens. Venae ipsae caetera neruo similes, sed maiores crassioresq. sunt, & ramulos & humorem habentes. In Ligno item existunt multa: interior pars cortice circumdata, fissilis & dura, ac veluti corpus arborum, & fruticum; cuius exterior & cortici vicinior pars mollior, ac albidior Alburnum à quibusdam dicitur, quae facile putrescit & teredinibus obnoxia est. Caro est id, quod omnibus dimensionibus diuidi potest, quomodo terra, quaeque ex terra constant: Vnde fit, vt inter neruum & venam ipsa media intercedat, ex Theophrasto. Matrix est id, quod in medio ligno residet, & tertium à cortice continetur, velut medulla in ossibus, quod nonnulli cor, alij medullam appellare malunt. Medulla etiam est id, quod in medio ligni fungosum continetur, veluti Sambuci medulla, Salicis, Virgae sanguineae, Rubi. Sciendumq. etiam, quod herbarum Caulis si exigui sunt, cauliculi, aut coliculi dicuntur, quandoque & scapi, aut culmi, vt Fabarum scapus, frumentorum & paruorum Arundinum culmi. Folium est proprie quod ex carne cortice & neruis constat, plantasq. vestit atque exornat, quo cum spoliatur plantae nudae apparent. Flos gaudium est arborum, herbarumque: concipiunt enim plantae varijs diebus, & pro sua quaeq. natura grauidae parturient, quod germinatio ideo vocatur. Pariunt, cum florent; flosq. ruptis constat vtriculis vbi futuri fructus spes est. Sunt etiam quaedam alia peculiariter parturientis arboris indicia, quae neque fructum, neque florem proprie dixeris, ut Graeci vocant, suntq. sublonga pannicularum modo nucamenta, quae squamatis compacta prodeunt è ramis, vt videre est in Larice, Picea, Platano, Iuglande, Tilia, Abiete & alijs permultis. Verum quod in Auellana, Nuce, Coryloq. compactili callo racematim cohaeret, & veluti praelongus vermis singulari pediculo penfile nititur, Iulum tam Graeci, quam Latini vocant. Flores etiam suas partes habent, nempe calycem, stamina, apices, & vngues. Calyx est, quo flos primùm continetur, deinde foetus clauditur. Stamina, quae veluti filamenta è calyce erumpunt ab intimo floris sinu. Apices sunt crassiuscula quaedam dependentia, in staminum summo inhaerentia. Vngues in Rosis caeterisq. foliatis floribus veteres intellexerunt imas foliorum partes, quibus calyci cohaerent, decolores magna ex parte & ideo Medicinae damnatae. Fructus, quod carne & semine compactum est, frequenter tamen pro eo, quod in uolucro perinde quasi carne & semine componitur, accipi solet: non raro pro ipso semine, vbi nudum & nulli alteri inclusum nascitur. Sunt etiam herbarum permultae partes, quae ab humanarum similitudine nomen traxerunt, vt coma, caput, alae, sinus, genicula, latera, capillamenta, fibrae, vertex, cacumè & aliae. Coma quidquid hilari venustate, crinium modo, summum ramorum vel coliculorum exornat, vt frondes: cum foliatum est cacumen, saepe corymbi & flores comati dicuntur. Id, quod in globum extrubat, aut in orbem glomeratur, Caput dici consuevit: si magnitudine cesserit, Capitulum, à quo multa herbarum capitulata visuntur fastigia, vt Papaueris, Nymphaeae &c. Causus inter caulem & ramulos anfractus, vnde sinuatum noua proles egreditur, Ala dicuntur, facta ab humanis alis translatione, velut in vtrorumq. complexu angulus, in quem coierunt, Sinus nuncupatur: sic alarum cauas sinusq. idem sibi velle facebitur, qui rectè inspexerit. Atqui partes, quae in quosdam nodos intrumescunt, tam Articuli, quam

Vena.  
Lignum  
Alburnum  
Caro.  
Lib. de  
hist. plan.  
c. 4.  
Matrix.  
Medulla.  
Cauliculus.  
Scapus.  
Culmus.  
Folium.  
Flos.  
Cachryas.  
Iulum.  
Calyx.  
Stamina.  
Apices.  
Vngues.  
Fructus.  
Coma.  
Ala.  
Sinus.  
Articuli.

quàm Genicula nominantur, à quibus persæpe & geniculatim & articulatim ramuli prodire dicuntur. Quod inter artus & genicula medium intercedit, Internodium dici consuevit. Geniculae quoque radices nuncupantur, quæ nodis quibusdam interlinctæ protuberant, rotundæ & leuiter capitulatae. Partes crassiores nodis conglobatæ, in quas internodiorum extrema cœunt, Vertebrae nominantur. Lateribus etiam præditæ sunt herbæ, quibus laterales funduntur rami, aut vtrinque in ordinem digressi prodeunt. Ad hæc, particulae teretes & oblongæ in capillimodum extenuatæ, Capillamenta dici consueuerunt, qui si contorta crispentur, Cirri mutantur appellationem. Differunt Cirri ab Acetabulis: illi enim tota pylorum flagella sunt; hæc in flagellis cirrisque rotundæ cavitates sunt. Capillamentis germanæ sunt fibræ, quæ plantarum minutiores sunt radiculæ, in quas veluti extremas crassiores effusa sparguntur; sic radices multæ fibris capillatæ, nec non etiam capillamentis fibratæ pinguntur, quæ veluti crinibus quibusdam cirtatæ comantur. Vertex, Fastigium, Cacumen id esse constabit, quod longissimo à radice distat interuallo, vt crus, quod proximum sit pedi. Oculus dicitur, quod persæpe in huiusmodi alarum sinu videantur oculi; is inoculationi nomen fecit. Ceruix pars illa est, quæ à capitis radicibus prodiens, prælonga, teres, in colli speciem figuratur, vt in Cæpis & Porris; & id genus similibus. Umbella est, quæ in plantis summatis infidet; estq. floris seminifera pedamentum, in plures digestum longiores pediculus, qui simul ex fastigio eodem orti in latius continuò radiantur; singulique florem vel semen sustinent in orbem circumactum, vt in Sambuco, Fecnieulo, Aniso ac Dauco, & nonnullis alijs. In orbem quoque radiatas herbarum comas cacuminaq. in fascies coacta, Latini Muscaria vocitarunt à flabris similitudine, cuius ventilatu muscæ è contiguis abiguntur. Cymæ sunt scaporum delicatioris tenerioresq. coliculi, quas à prima pullulatione præstant. Pappus, lanosus villosus est, qui deflorescentibus aliquot herbis remanet & postea in auras euanescit, vt in Carduis, Senecione, Soncho, & plerisq. alijs fit. Herbæ quædam & arbores quadam lanugine pubent, quæ est lanata quadam hirsuties, qua stirpium aliquot folia, coliculi, termitifera canescunt. Aculei sunt, quæcunq. duriuscula in cuspidem turbinata punctionem insigunt spiculorum modo. Echinus est, quidquid numerosa congerie aculeorum stipatur siue tegmen, siue capit, siue cacumen: sic dictus, quod globofo spinarum agmine maris Herinaceum mentiarur, vt in Castaneis. Diplaco & Spina alba apparet. Semina multis varijsq. conceptaculis recipiuntur; nempe siliquis, valvulis, folliculis, loculis, vasculis. Folliculus est theca cuiuslibet rei, quæ granum vel semen continet inuolutum. Siliqua tegumentum est, quo vel grana leguminum, vel herbarum semina concluduntur nam non legumina modo, sed quamplures quoque herbæ & frutices siliquantur: Valuuli cum cæterorum leguminum folliculi, tum præsertim Fabarum appellati sunt, quia vallo quasi valuoli grana excutiantur. Vascula reliqua seminum inuoluta, quæ si veluti parua capsulæ ea recludant, Loculamenta dicuntur; si pecuniarij sacculi follicularem formam referunt, Vulgæ sibi nomen asciscunt: Circinatus florum vel foliorum ambitus, qui colicalos, aut ramulos herbarum coronat, Verticillū est, ab instrumēti muliebris similitudine dictū, quod fusi vertedi gratia solitū est adhiberi. Omisissis verò partibus Frumēto & Viti dicatis, vti nō

stro

stro instituto minimè oportunis, alijsq. ad figuram pertinentibus, breuitatē studens, huic capiti finem impono.

## Saporum in Plantis repertorum differentia inuestigantur. Cap. VII.

Qvippe cum in ordine seruando, in tractandis plantis hoc in opere contentis, connexionem cognatione saporum esse seruandam operæ pretium fore duxerim; ad clariorem ideo notitiam de saporum differentijs, quantum nostro instituto conuenit, nunc agere intendo. Etsi hæc inquisitio pertinet in summa ad secundum de anima, in specie ad librum de sensu, & sensilibus, priuatim verò ad librum de saporibus; attamen quia tripliciter sapores considerari possunt, primo in ordine ad gustum, cuius sunt obiecta, secundo secundum propriam naturam, tertio secundum subiectum, cui insunt; primus, & secundus modus ad Philosophos pertinet, quare de his Aristoteles in prælegatis locis differuit, tertius ad medicos; atque ita Galenus considerans mixta, vt ad sanitatē conferunt, sapores, ad ipsorum temperies dignoscendas, ordinauit. & sic per subiecta distinguit. Et quamuis nulla qualitate, earū quæ secundæ appellantur, firmum satis indicium ad mixti temperamentum dignoscendum, sumi possit (sola enim experientia id asequimur, cui vnicè fidendum) ex saporibus tamen non parū iuuamur, cum ad id consequendū, tum ad plantas ipsas dignoscendas. Sciendum ergo, quod de saporū differentijs, ac numero, prisca non pariter sensisse videntur. Plato namque in Timæo, vt refert Galenus, quodammodo octo posuit, Acerbum, Austerum, Acidum, Salsum, Nitrosum, Amarum, Acrem, & Dulcem; alio modo quinque, primos duos: Acerbum, & Austerum; eiusdem ferè speciei esse asserens, & solum, autem in ratione maioris, & minoris differentes. sic salsum, nitrosum, & amarum. amarus namque ex nitroso prouenit intensione: salsus verò aut nitroso imbecillior aut adstrictionis quoque assumens aliquid, ex adstrictione specificam differentiam adsciscere videtur. Alij addunt alium, quem Adstringentem vocant. huicq. Plato eundem cum austerum esse intellexit. nihil enim aliud est, quàm austerum remissus, qui in malo Cydonio, & Medico reperitur. Theophrastus addit Vinctuosum, seu oleosum, seu pinguem, qui potius in numero succorum à Platone ponitur: Vinctuosum enim esse non ad saporem, sed ad modum substantiæ succi perinet. Alij nouem dicuntur, acer, acidus, pinguis, salsus, austerus, dulcis, amarus; acerbus, infidus. tres primi è tenui materia prodeunt, medij è mediocri, postremi è crassa, atque terrena. Nos octo tantū veluti nostro proposito oportunos explicabimus, acrem, amarum, salsum, dulcem, insipidum, acidum, austerum, & acerbum. Acris sapor est, qui linguam, & os acrimonia ferit, cōpungitq. ac fauces mordet, simulq. calefacit, & interdum quasi exurit; is maxime conspicuus est in Pipere, Pyrethro, Euphorbio, Nasturtio, Allio, & Cæpa, *Ahuapalli, Culli, Chilpanizacilli, Cibilmeatl, Tazpalli, Anchoa*, & id genus alijs. Fit autem ex tenui, sicca, calidaq. materia. quare omne id, quod gustui acre, mordensue se præbet, igne naturæ particeps est. idem sapor reperitur in edulij quibusdam, quibus vtimur pro obsonio; multis verò vt condimentis tantum, cum etiam in simpliciter medicamentis, ut in deleterijs, qui si nondum vehemens est, sed infra tertium calefaciendi ordinem

B subsistit,